

missum, DEum non offendere, nec damnationem attrahe-
re docetur, & sanæ rationi repugnat & Scripturæ. Psalm.
LXXIIX. 6. I. Thess. IV. 5.

XI. Monstrosa est P. Chawini opinio, peccati originis
subjectum esse tantum corpus & cum corpore decrementa
capere & incrementa.

XII. Ad prius absurdum creatio animæ immediata, ad
alterum confusio peccati orig. quod æquale in omnibus est,
cum motibus ejusdem, qui ob temperamenti inæqualitatem
in uno magis ac in altero se exerere possunt, ipsum seduxit.

Disp. XVI.

De

Peccato Actuali.

I.

PRimum Diaboli peccatum superbiam fuisse, perquam
verosimile est.

II. Ingeniosa hanc in sententiam interpretatio lo-
ci, Ep. Jud. v. 6. est Bryani Turneri: *non servantes propri-
um principatum aliorum pomeria insiluerunt, stationis ipsis as-
signata desertores.*

III. Hominis verò incredulitas. Gen. III. 4. 5. 6. 7.

IV. Jesuitarum & Moralistarum principia: *ad peccan-
dum formaliter requiritur notitia peccati; nullum est peccatum
formale, nisi conscientia hic & nunc judicet de malitiâ; Con-
scientia circa illicitum intrepida excusat à peccato; flagitiis qui-
buslibet latam aperiunt portam.*

V. Pœna peccato dictata mors est, spiritualis & æter-
na, Gen. II. 17. non temporalis, nisi ex accidenti.

VI. Non potest DEus salvâ justitia suâ creaturam in-
nocentem, justitiæ & injustitiæ capacem, ad quamcunquẽ
afflictionem condemnare. Gen. XII. 25.

VII. Multo minus, quod horrendum est vel cogitare
de DEO, morti æternæ objicere.

VIII. Potest tamen pœnam, impiis parentibus debitam,
à filiis, quoad causam innoxiiis, requirere. Ex. XX. 5.

C 3

IX. Malè